SPECIMEN OBSERVATIONUM,

QVAS CIRCA

PLANTARUM QVARUNDAM MARIS ISLANDICI, ET SPECIATIM ALGÆ SACCHARIFERÆ DICTÆ ORIGINEM, PARTES ET USUS

COLLEGIT,

ATQVE

PRO STIPENDIO VICTUS REGIO

PUBLICO OPPONENTIUM EXAMINI SUBMITTIT

BIARNO PAULI Isl.

UNA CUM DEFENDENTE

NOBILISS. ET DOCTISS. JURIS CANDIDATO

BIÖRNONE MARCI FILIO.

IN AUDITORIO COLLEGII REGII.




Die 31 Octobr. Anni 1749. h. a. [illegible] m. ſ.



HAVNIÆ,

EX OFFICINA SACR. REG. MAJ. AULICA APUD ERNEST. HENR. BERLING.



Imprimatur
B. J. v. BUCHWALD. D.



Præfatio.



Experientiâ conſtat, plantas non ſolum ê terra, ex qva radix per vaſa ſuccoſa & utriculos, attractum, liqvidum alimentoſum cauli & reliqvis ipſi oppoſitis partibus impertitur, enaſci, verum omne qvod exiſtit firmum corpus & cui aliqvomodo inſiſtere poſſunt, natalem iisdem locum concedere obſervatum eſt; ſic enim fungos ex omni parte ſolida corporis animalis, plantas, muſcum, lichenem, viſcum ex vegetabilibus progigni, plantas marinas, nunc ſtrictiſſimi corporis ſilicibus, lapidibus, teſtis conchyliorum, vitro, metallo &c. ita firmiter adhærere, ac ſi viſco agglutinatæ tenerentur, nunc ſingulari veſicularum notatoriarum apparatû & appendcibus anchorarum ſpecimen referentibus, nullis certis locis affixas, liberrimè per aqvarum ſuperficiem hinc inde ferri qvæ qvidem omnes per radicem minimam, maximam vero per foliorum & caulis ſuperficiem nutrimenti partem accipiunt, qvemadmodum celeberrimi Ol. Borrichius Act. Hafn. T. I. Obſ. LIX. & J. Geſnerus Diſſert. Phyſ. de Veget. §. 6. & 10. annotarunt. Qvæ licet communiter nota ſint,

 pau-

pauciſſimi tamen Botanicorum, vegetabilia marina deſcribere aggreſſi ſunt, ſine dubio rei difficultate deterriti, nam præterqvam qvod tam rationê originis, qvam & fundamenti diſtinctionis à fructificatione deſumendæ, obſcuritatibus qvibusdam involvuntur, in multis regionibus nunqvam, niſi fortè advecta & exſiccata viſuntur.

Speciatim qvod hæc & alia naturæ producta in Islandia attinet, fatendum eſt, ſcriptores rerum naturalium, eadem, cum longiuscule diſſita minusqve cognita ſit hæc inſula, magna ex parte prætеriiſſe, exceptis ſpeciebus paucis, qvæ curâ Caſtiſſimorum Bartholini & Borrichii Actis Hafnienſibus inſertæ ſunt. Nam qvod ipſi Islandi & inter eos eruditi (de hiſtoriis & antiqvitatibus ſeptentrionalibus bene meriti, rerumqve Philoſophicarum qvidam periti) in Phyſicis & Medicis pauca vel inculta literis conſignaverint, ejus generis monumentorum defectus & ruditas arguunt. Cauſa vero talis defectus apud eos alia qvidem non eſt, qvam dictarum ſcientiarum ſolidæ & practicæ cognitionis, genti pauperi & ab aliis longius remotæ fere inſuperabilis difficultas, ipſæ enim ſi ad praxin deducendæ ſunt, præreqvirunt ſubjecta ſanioris Philoſophiæ principiis probè imbuta, exiguntqve peregrinationes cum extra, tum præcipue intra patriam crebrò inſtituendas, apparatum librorum & inſtrumentorum haud contemnendum, dexteramqve hæc dirigendi & applicandi facultatem, ac deniqve rariorum qvæ occurrerent phænomenorum collationem cum viris intra & extra patriam prudentibus & expertis: qvæ qvam parùm cum ſtatu Islandorum tam præterito qvam præſenti conveniant, notum magis eſt, qvam ut hic referre attineat; ut taceam nullum eſſe ſtipendium, Medicis & Phyſicis obſervationibus ibidem vacanti à ſuperioribus legatum. Unde mirum non eſt, triplicis regni hujus in-

ſulæ

ſulæ theſauros maxima ſui parte jacere incognitos & intactos, incommodaqve plurima incolas hinc percipere, nec non artes qvasdam manufactorias, qvas hiſtoriæ in ibi viguiſſe teſtantur, oblivioni jam eſſe traditas. Hicce ego difficultatibus non dejectus, ſed patriæ caritati addictus, ex ea qvæ obtinere poteram naturalia, eô finê accerſivi, ut ſub prudentiorum directione, eadem cognoſcere, examinare & pro circumſtantiis applicare diſcerem. Erat mihi inter pauca alia, communicata ab amico reverendo *algæ* qvædam *ſpecies*, Borrichio *Saccharifera* rectiſſimè *dicta*, circa qvam & paucas alias ex eadem familia, antea mihi notas ſpecies, qvæ obſervaveram notanda, dum leges Academicæ privatæ induſtriæ ſpecimen qvoddam me poſcerent, publici juris facere incongruum non videbatur. Sed obſtaculis hinc inde preſſus, pluralitati obſervationum ſuperſedere cogebar, nam deerant mihi libri, qvos in hac materia conſulerem, deſtitutus eram occaſionibus, ut experimenta crebrius & accuratius inſtituerem ac deniqve ſtudiorum ratio & fortunarum tenuitas tempori & ſumptibus parcendum eſſe ſvadebant. His conſideratis candidi lectoris humanitatis erit, mihi in præſenti ignoſcere, ſimulqve ſperare, circumſtantiis magis faventibus, me defectus ſupplere, pluraqve præſtare promptiſſimè conari velle.

§. 1. Mare Islandicum ditiſſimo annuo piſcium proventu largisſime à ſummo Numine beatum eſſe, plurimis Europæ gentibus ſatis credo notum eſt, qvorum etiam, ſed ſalſtem maxime uſualium hiſtoricæ deſcriptiones hinc inde collectæ typisqve vulgatæ ſunt (vid. ex. gr. J. Anderſonii Nachricht von Jsland §. 52. ſeqv. vel potius, dum ipſe falſitate relationum deceptus ſit, ſcriptores ab eo citatos). Sed & litora ejus plurima, ut & in qvibusdam locis fundum ipſum, uberrimas proferre plantas, paucisſimis heic adumbrare ani-

 mus

mus eſt; per has autem intelligo *vegetabilia ſubmarina* ut plurimum *perennia*, *flore fructuqve* qvoad videri poteſt *carentia*, *ſubſtantiæ mollis*, *carnoſæ vel ſpongioſæ*, *Islandis communi nomine* Þari *vel* Þang *dicta*.

§. II. *Vegetabilia* nuncupo, qvia vivendo creſcunt, vitæqve hujus æqve in his ac aliis plantis actio duplex ſtatuitur, una qvæ ad plantæ incrementum, altera qvæ ad ejus propagationem pertinet (vid. Geſn. l. c. §. 3. 4. & Cel. Linn. Fundam. Bot. Aphor. 133). *Submarina*, qvia licet in ſicci etiam litoris lapidibus interdum conſpiciantur, ſemper ibidem ſunt langvidiora atqve recreationem à fluctibus maris, ſub qvibus propriè ſuos agnoſcunt natales, expectant & accipiunt. *Perennes* dicuntur *arbores* & *frutices* qvæ per hyemem perſiſtunt, *herbæ*, qvæ radice per hyemem perdurante, ex eadem novum caulem producunt, ut contra *annuæ*, qvæ ſingulis annis ê ſatô ſeminê educuntur. Cum ergo nec hoc neqve illud (qvoad herbas ê radice) proprie, licet conditionatè locum hic utrumqve habere poſſit, iſtud vero proxime in plantas noſtras qvadret, *perennes* ipſas dicere liceat. Organa generationis, ut & ſemina, flores & fructus in algarum familia, oculis noſtris qva talibus conſpici non poſſe cum Cel. Linnæo (in Syſtem. Noturæ, unde & cryptogamiam hic ſtatuit in Claſſ. plantar.) agnoſcimus, ſciendum tamen, nos dicta organa iisdem non denegare, ſed noſtri organi viſorii debilitatem fateri, vid. ejusd. Fund. Bot. Aph. 139.

Porro cum in præſenti ſermo de radice casſis aqvisqve ſupernatantibus, aut durioribus vel coralliis non ſit inſtitutus, ſed de plantis ſuo modo perfectioribus, *radicem* & *folia* omnibus, *caulem* plurimis competere ulterius patebit.

§. III. *Locum natalem* plantarum marinarum qvod attinet, videantur qvæ ex Borrichii & Gesneri observationibus ab initio allegavi & generaliter dicta sunt. Specialius, nostris triplicem potissimum assigno, & qvidem 1.) *Lapides & Saxa*, non lævia, sed superficietenus porosa (ɔ: aspera & qvasi erosa)' qvibus radices, interdum capillares tam firmiter inseruntur, ut citius, vî allatâ, minutim dirumpantur qvam exstirpentur. Corpora autem lævigata, licet in regionibus calidioribus, ubi mare qvietum magis est, plantas marinas sustentare possint, (vid. Præfat.) in turbido Islandico idem non valere, illustratur exemplo marmoris nigri rudis (i. e. lapidis lydii) qvem Islandi Svarta- vel Fioru-blaagriiti vocant, qvod algam proferre nunqvam observabis. 2.) *Conchas*, qvibus mediante cirro, non tamen æqve firmiter ac in primo casu alligantur hæ plantæ. 3.) *Truncos majorum plantarum mar.* hos enim sæpe sui simile, sæpius specie à se diversum vegetabile proferre notatu facillimum est. Ipsum præterea fundum, limosum, in extremitatibus angustiorum qvorundam sinuum, concurrentibus pigris stagnantibusve aqvis, lichenes & ulvam hic ut alibi proferre, cuivis observanti patebit.

§. IV. *Tempus vegetandi* plantis marinis certo assignare difficile est, partim qvod pro aëris & oceani circumstantiis variet, partim qvod accurate, qvoad sciam, observatum non sit, partim deniqve qvod in perennibus (§. 2.) mutationes minores leviter scrutanti non pateant, interim tamen *circa Martium* illud incidere accolæ maris affirmant, & existimant non nulli si vernante tempore ipsæ bene vireant, terram seqvente æstate fertilem fore & contra. Autumno vero & hyeme, prout minuitur calor, langvidiores reddi creduntur.

§. V. De actione vitæ dictarum plantarum qvæ ad incrementum & propagationem sive vegetationem & fructificationem

nem pertinet, altioris indaginis eſt qvæſtio, imprimis cum organa talibus actionibus in iis dicata, oculis noſtris non pateant. Interim, ſalva tamen & inconcuſſa prudentiorum ſententia ſi forte hac in re philoſophati ſint, de his, qvod de omni vivo, conſeqventer etiam vegetabili (§. 2.) valebit, qvod ſc. ex ovo oriantur, ova autem vegetabilium ſunt ſemina eorundem (Linn. Fund. Bot. §. 134. 135.). Cum porro omne vegetabile Semine inſtructum ſit, etiam ubi oculi illud detegere non valent (Linn. l. c. 139.) plantæ autem marinæ ſint vegetabilia (§. 2.) ſeqvitur easdem ſemine eſſe inſtructas. Cum ergo ſemine inſtructæ ſint, & omne ſemen ſuâ naturâ ſit proliferum, ſeminis vero proliferi finis ſit multiplicatio ſpecierum, plantas marinas per ſemen multiplicari rationabiliter ſtatuitur, qvem etiam maxime naturalem propagationis modum eſſe voluit ſapientisſimus creator, hoc enim fundamento nituntur omnes facultatis multiplicatricis modificationes, ſive enim per radices, ſive ramos, gemmas aut folia vegetabilia propagentur, rationem in medulla, ſeminis officina qværendam eſſe docet cum Thummigio Jo. Geſnerus Diſſert. de Fructificat. theſ. 4. Sed in noſtris plantis triplici modo vegetationis negotium variari compertum habeo, & qvidem 1.) Maxime iis proprium eſt, ſi adventitia cauſa non evellantur in annos *perdurare* (§. 2.). Qvorſum vero ſe extendat perennitas earum, obſervationibus curioſorum hac vice relinqvimus. 2.) *E radice* ejusdem ſpeciei & formæ reſurgere novam algam, præcedente anno avulſæ, non eradicatæ per omnia ſimilem, multiplex obſervatio & experientia in omnibus iis patriæ locis teſtatur, ubi aut pecudes per paſcua litoralia (*i bitſiörunum*) eam qvotannis detondent; aut algæ ſacccariferæ dives litus (*Sölva-fiara*) ab hominibus ipſam colligentibus freqventatur. 3.) Qvod *per ſemen* propagentur,

rati-

rationibus adductis à priori jam demonstratum est, sed idem ut fiat à posteriori, provocandum est ad experientiam, visuntur enim satis numeroso agmine, trunco majoris algæ innatæ, non tantum minores & interdum minutulæ, sed & adultæ, attamen ab ea cui innascuntur planè diversæ plantæ (vid. supr. §. 3. & infr. §. 8. 15.), qvæ silentes omni intelligenti loqvuntur; non ipsas algæ heterogeneæ primam sui originem debere, sed ejus porosum truncum, semen suum in aqvis fluctuans & viscidum intra poros recepisse, idemqve hic nutrimento auctum radices egisse atqve in plantam abiisse, qvarum etiam testimonio algæparæ conchæ haud cunctanter subscribent.

§. VI. Plantas marinas, qvas nunc enumerare paramus, ad certas classes â scriptoribus Botanicis systematicis, ut â Linnæo ad cryptogamiam, â qvibusdam aliis ad vegetabilia imperfecta relatas esse scimus, adeo ut paucularum qvæ hic recensentur, aliter instituta dispositio locum habere non videatur. Possent qvidem omnes vel *fruticosæ* (ɔ: qvæ erectæ sunt, duriusculæ & ramosæ) vel *herbaceæ* (i. e. teniiores, foliaceæ & magis vel minus procumbentes) satis commode vocari; verum cum singulæ de qvibus hic agendum, ad usum œconomicum aliqvalem respectum habeant, in *esculentas*, (qvibus homines sæpius aut rarius vescuntur) & *non esculentas* (qvibus nunqvam) impræsentiarum ipsas dispescere placuit.

§. VII. Posceret qvidem ordo instituti ut de esculantis primò ageremus, sed cum non esculentæ numero prævaleant, est qvod ab iisdem exordiamur, retentis nominibus Islandis usitatis, cum de Latinis ubiqve convictus non sim, notæ sunt ergo illis seqventes: 1.) Hrossa-Þaunglar, 2.) Þaunglar, 3.) Knappa-Þang, 4.) Þussa-Skegg, 5.) Kræklu-

 skelja-

ſkelja- 6.) Auduſkelja ꝛc. Hœng, 7.) Siodar-ſlij, 8.) Kerlingar-eyru, 9.) Mar-Hœlmr.

§. VIII. Hroſſa-Þaungular ſpecies enumeratas, duritie, craſſitie & altitudine facile omnes vincunt, horum enim caulis ſeu truncus ê radicibus plurimis, lapidum aut concharum maximarum poris firmatis unitisqve, craſſitudinem inferius ſpithama majorem, qvæ tamen paulatim, prout ad ſuperiora devenitur minor fit, altitudinem 5es. vel 6es. cubitalem acqvirit. Integer eſt & nudus, niſi qvod interdum algam heterogeneam (§. 5.) ſuſtentet (qvo in caſu foliatus dici fortè poſſet), erectus eſt ac teres, fibrisqve longitudinalibus paralelis duriuſculis inſtructus, ad ultimum in parte ſuprema capitulo, utrinqve ut plurimum plano convexo excipitur caulis. Ratione vero foliorum qvæ capitella hæc emittunt differentia qvædam hic offenditur: nam *in qvibusdam* unicum adeſt, carnoſum, lunulatum, inferius concavum, ſuperius convexum, marginaliter magis vel minus dentatum, â ſimilitudine qvadam auris Kerlingar-eyru (auricula vetulæ) dictum. NB. Kerlingar-eyru §. 7. n. 8. ſeorſim poſui, ſuprema enim hæc plantæ pars, fluctuum ictibus cauli ſæpe avellitur & in litus ejicitur, unde à nonnullis, ſtructuram non penſitantibus pro diſtincta ſpecie (ſed falſo, uti jam monſtratum eſt) habetur. *in aliis* autem multa, oblonga, integra, glabra & craſſiuſcula leviterqve acuminata adſunt folia. Placet hanc ſpeciem, ob convenientiam formæ, qvam cum ſcopis nautarum ê laciniis pannoſis conſutis habet, *fucum ſcoparium* cum C. Bauh. Pin Lib X. ſect. 4. & omnes majores ramoſas erectas pro ratione tam formæ, qvam durationis *frutices marinos* appellare.

2do. Þaunglar. Islandi vocant Þaungla omnes frutices marinos in litora ejectos, & ut fieri ſolet foliis ſpoliatos, dicun-

cuntur Haunglar qvasi alga erecta à Haung qvod algam in genere denotat (§. 1.) hinc proprium nomen villæ Haungsa-stadii &c. Hressa Haunglar autem maximi dicuntur qvasi *alga caballina*, hinc Norvagis etiam hestethare.

3tio. Knappahaung (*alga globosa*), radix ejus lapidibus affigitur, caulis tenuior est, intus cavus, flexilis ac repens, vesciculisqve multis interstinctus, qvæ si aperiantur, corpore spongioso, viscido, albicante adimplentur, fortiusve compressæ strepitum edunt, qvo pacto præsentiam aeris manifeste testantur, unde etiam aqvis non immergitur hæc planta, sed diutissime innatat & ex parte supernatat; & si in ulla planta marina, in hac facillime organa generationis detegi posse suspicor. Videtur hæc eadem esse cum *fuco folliculaceo nodoso*. C. Bauh. l. c. vel etiam cum *fuco verrucoso tinctoris* Joh. Bauh. Histor. plantarum Lib. XXXIX. c. 10. qvem & *Roccellam* nuncupat.

4to. Hussa-skegg (qvasi *barba Gigantea*, ratione denominandi à colore & forma tetra & horrida desumta). constat hic fucus filamentis crassiusculis nigri-cantibus, ê radice parva, ejusdem coloris, denso agmine statim erumpentibus, qvæ & longitudine plus minus cubitali dotantur. Sæpissime exstirpatus in litora ejicitur, interdum tamen lapidibus affixus conspicitur, unde & iisdem natale solum debere censendus est; An sit *muscus capillaceus multifidus niger* C. Bauh. l. c. an etiam *fucus capillaris tinctorius*, J. Bauhino sub nomine *Roccellæ* ex oriente delatus l. c. cap. 9. cum hujus descriptio & figura (excepta minutula circa radicem differentia), illius vero proprietates, qvantum ex nomine colligere licet in hunc nostrum qvadrent, certò adseverare non ausim.

 5to.

5to. & 6to. Kræklu-Audu-skelja Þang. Qvæ proximè dicta jam sunt, his etiam speciebus respectu figuræ & coloris conveniunt, statura tamen his multo minor, & vix unqvam longitudo palmæ latitudine major est. Nascuntur in conchis â qvibus denominantur, egrediunturqve per earum commissuras radice admodum subtili, qvam partim in conchæ superficie interna, partim etiam intra substantiam animalculi contenti intrare oculis observantium patebit: utrumvero ipsius conchylii appendix qvædam sit (sc. cum radice hæc planta) an etiam hæc filamenta in ore ejus qvasi ad sugendum teneantur ulterius dissectione anatomica indagandum.

7mo. Siavar-Sly (*alga viridis capillaceo folio*, vel *muscus tomentosus* seu *conferva* C. Bauh. l. c.) simillima est hæc alga illi, qvæ in tubulis, aqvam fontanam ducentibus enascitur, nisi qvod paulo crassiora huic sint folia vel ramenta, qvæ microscopio subjecta, inter nodiis qvibusdam hamosis instructa videntur, unde etiam firmius invicem cohærent, atqve ex siccata duci se patiuntur, qvod & Islandis notissimum, qvare ad ellychnia, deficiente lana graminis tomentosi sæpe ab iis adhibentur. Adhæret hæc alga Saxis, lapillis vel fundo ubi mare qvietum est.

9no. Mar-Haulmr (comp. à Mar antiqvè & Poetice pro Siaur i. e. mare & Haulmr linum vel cannabis, qvasi sit *cannabis marina*, utrum vero ductile qvid contineat, qvamvis denominandi ratio id svadere videatur, mihi adhuc dubium & incertum est). Hujus tres numerantur species. *α*) *Graminea*, qvæ radice parva, caule geniculato terete, tenuibusqve foliis alternatim positis, ac in parte suprema, minutulis, oblongis capitells instruitur. Provenit e fundo limoso tam dulcis [illegible] qvam

qvam salsæ, modò stagnet aqvæ, qvæ simulac decrescit, planta hæc procumbit.

β) *Herbacei diluti coloris*, simili, sed salsæ aqvæ fundo oriunda, altitudinem circiter bicubitalem acqvirit. Folio constat unico, pingvi, crasso semiunciam circiter aqvabiliter lato, obtuso, externe lævi, internè, ad modum scirpi spongioso, unde citissime exsiccatur atqve viribus castratur. Saporis est gramineo-dulciculo-subsalsi. γ) Simeles cum præcedentibus agnoscit natales species tertia sub dicto nomine generico comprehensa. humilior tamen est, nigricans & teres; intus fistulosa, externe glabra, cumqve tenuis sit, erigere se non valet, sed fundô repit. tomentosa qvidem non est, texturam tamen manualem siccata qvodam modo admittit.

§. IX. *Usus* enumeratorum specierum nobis maximam partem incognitus est: Communem tamen his cum omnibus vegetabilibus esse scimus, sapientissimam & benevolam creatoris constitutionem hominibus ostendere, cum enim *Præsentem loquitur qvælibet herba Deum*, ultimum inter eas locum pelagicæ minime obtinent, qvæ sine omni labore humano, sine pingvis terræ concursu, ipsæ tamen pingves, ex iis corporibus, Saxis sc. qvæ vegetationi alias obstare solent, turbis vastissimi oceani, fluctuumqve ictibus expositæ, tanqvam in agro lætissimo crescunt, vegetant & virent. Organis præterea fructificationis apparenter destitutæ (§. 1. & 2.) nihilo tamen secius conservantur multiplicanturqve (§. 5.) ut potenti mandato creatoris Gen. 1, v. 11; 12. obsecundent. Porro qvemadmodum omne vegetabile hominum commodo producens destinavit Numen beatissimum l. c. 29. 30. ita & his suas habere dedit virtutes. Et qvantum ratione colligere licet, plantæ oceani majores suo etam modo minores,

præter balenas, qvarum nonnullas herbis marinis pasci probant Acta Philos. Angl. Mens. Mart. 1665., etiam pisciculos & insecta partim sustentant & nutriunt, partim ab injuriis æstuantis oceani, impetum fluctuum mitigando, qvemadmodum sylvæ feras à sævitia tempestatum, conservant. Ex supra (§. 7. 8.) recensitis speciebus 1ma. & 2da. pro alendo Vulcano focario, pastu ignis deficiente, à pauperibus maris accolis, prius exarefactæ adhibentur, 3tia. 4ta. 5ta. 6ta. (de 7ma. §pho præced. dictum est) & 8va gregibus, imprimis oivibus, gramine & fœno hyemali tempore magna ex parte destitutis, nutribile est pabulum, unde qvibusdam in locis obtinet locutio Mamadar-sex atta- imò & tolf-vikna-fiara i. e. tam fœcundum alga litus, ut per 4. 6. 8. vel etiam 12. septimanas, pecudes adjacentis villæ saginare potis sit Nunqvam tamen sola alga animalia gramine assveta & ruminantia, dum hæc in ventriculo, citius qvam herbæ terrestres mutationes subeat sustentari possunt. (Species) 9na. bobus & vaccis pabulum est galactopoion, qva & olores hyeme pascuntur. Præterea observatum, vulgoqve creditum est, agnas, herbis marinis hyemali tempore pastas, partum bis ac ter geminum sæpe eniti. Qvod vero talium animalium caro nauseosa fiat, ut nugatur Andersonius l. c. §. 24. merito dubitatur, nec unqvam celeberrimus noster Borrichius, cum eidem de alga sermo est idem asserit.

§. X. Hactenus enumerata Islandis communiter nota sunt, sed de *Roccellis* (§. 8. n. 3. 4.) jam dicendum erit. Nomine Roccellæ, fuci, tingendis coloribus idonei insigniuntur, qvibus cum dictæ species juxta characteres à laudato Joh. Bauhino propositos proxime accedant, modum, qvo opus tingendi perficitur, ipsius Autoris verbis communicabo, ut habeant, qvibus experiri animus est regulam qvam seqvi possint,

ſint. ſic autem ille lib. cit. cap. 8. "Roccella tinctorum: ma-
"teries ejus colorem præbet nobiliſſimi purpurei. Evocatur
"vividius ejus color maceratione facta in urina, ſic paulatim
"tincturam acqvirit, donec ultimò ſpecies qvædam (ſoda) ſa-
"lis alkali, complimenti loco & ut denſetur addatur. Fuci
"in compoſitione portio ad urinam eſt qvintupla, plus minus
"pro bonitate fuci. Maceratio uno menſe completur, ſalis
"pars duodecima additur, qvod maceranti fuco adjectum,
"colorem pariter odoremqve fiolæ excitat atpve producit."
Hactenus ille. Experimentum autem ab iis, qvibus talis al-
pæ copia eſt, facile inſtitui poteſt, nam Sal Alkali, ut ex her-
bis acetoſis, ita ex ipſa alga, ut porro patebit, nullo fere ne-
gotio elixivatur. Et ne dubitetur, plantis marinis qvalita-
tem inficiendi ineſſe, duo hæc penſitentur argumenta.

1.) Fœrröenſes ex earum cineribus, addita herba qva-
dam qvam vocant Skor & liqvore conveniente i. e. aqva ci-
neribus algæ dilutis ſaturata, non in elegantem praſinum co-
lorem eliciunt. 2.) Piſces algoſo hærentes fundo, ſqvamas
& pinnas colore rubicundo tingere notiſſimum eſt, unde &
Bara-fiſkar Islandicè dicuntur; adde, Cretenſes algâ pur-
puras inficere teſte Plinio Lib. Hiſt. 13. c. 25.

§. XI. Salem per ſe ſuccum eſſe macrum, ac eatenus
fœcundandæ terræ non idoneum communiter notum eſt,
(cfer. ex. gr. J. A. Kulbeli Diſſert. de cauſa fertilitatis terræ
theſ. 28.) nihilo tamen minus, terras frugiferas, partes aqva
ſolubiles ſapidasqve, ſales ſc. diverſimodé temperatos ſibi
conjunctas habere, ope experimentorum inventum eſt. (vid.
Verdries Phyſ. Part. Spec. Cap. 6. §. 3. 4. & Kulbel. l. cit.
theſ. 8. 16 & 22.) atqve hoc fundamento infertur, omnem
terram fructuoſam ſale temperatam eſſe debere (vid. Engel-
ſka Aker-mannen och Fôra-Herden Lib. I. cap 3. Si librum du-
dum

dum lectum, nunc absentem citare fas sit), qvo destitutæ, sterilitateqve mercescenti, convenientibus mediis terræ succurrititur, eidemqve de perditum lætamine restituitur; hujus vero effectum pro varietate ipsius particularum variare, agriculturæ periti compertum habent reqvisita boni lætaminis sunt ut sit terrestre, pingve, salso-humidum & solubile. Hæ qvalitates, dum plantis marinis propriæ sint, ut ulterius monstrabo, mirum non est, scriptores de iis testari, qvod egregiam hac in re præstent operam, idqve triplici modo, & qvidem 1.) Autor libri proximè citati inter alia segetes fœcundantia, *cineres* omnis generis algæ, fimo admixtos cæteris multis præfert. 2.) Joh. Bauh. l. c. cap. 2. algam *per se* pro pinqvissimo lætamine habendam esse tradit. 3.) (Pergit idem) *ex fimo pecorum alga pastorum*, læto segetum proventu agros stercorari asserit.

§. XII. *De usu* earum *medico* veterum sententias paucis hic afferam. " Refert ex Galleno Joh. Bauh. l. c. cap. 1. muscum marnium ex terrea & aqvosa essentia utrisqve frigidis " compositum esse, & omnia calida impositum manifeste refrigerare ipsisqve prodesse. Idem ex Dioscoride: Refrigerandi vim habent omnes (sc. fuci) in cataplasmate ad podagras " & inflammationes efficaciter utilem: verum iis adhuc humentibus uti convenit, anteqvam exarefiant. Maxime autem refrigerans est capillaceus ille gracilis fucus sine caule, " qvi in saxis testisqve valde adstringentis gustus ad mare nascitur (vid. §. 8. n. 4.). Cap. 2. loc. cit. dicit idem noster: " alga insigne remedium est contra cimicum & pulicum venenum lethale, Romæ adversus ea usurpatum. Nicander algam maris theriacam esse tradit, puniceumqve fucum adversus serpentes valere. Plinius Lib. Hist. 27. c. 7. algam rubram scorpionum ictibus mederi testatur. Atqve hæc sunt qvæ de *non esculentis*, in prsenti a me dici poterant.

§. XIII.

CONTINUATIO OBSERVATIONUM, QVAS CIRCA PLANTARUM QVARUNDAM MARIS ISLANDICI, ET SPECIATIM ALGÆ SACCHARIFERÆ DICTÆ ORIGINEM, PARTES ET USUS

COLLEGIT, ATQVE PRO STIPENDIO VICTUS REGIO PUBLICO OPPONENTIUM EXAMINI SUBMITTIT

BIARNO PAULI Isl.

UNA CUM DEFENDENTE NOBILISS. ET DOCTISS. JURIS CANDIDATO

BIÖRNONE MARCI FILIO.

IN AUDITORIO COLLEGII REGII.



Die 31. Octobr. Anni 1749. h. p. m. f.



HAVNIÆ,
EX OFFICINA SACR. REG. MAJ. AULICA APUD ERNEST. HENR. BERLING.

§. XIII. Sed & paucissimis verbis perstringendæ sunt plantæ marinæ nobis esculentæ dictæ (§. 6.). Ad hanc classem Solummodo tres plantæ maris Islandici referuntuntur Sc. Fioru-gros, Biollr, Kiarnar & Saul.

§. XIV. Fioru gròs ipse qvidem non vidi, Sed ut accepi muscus est Saxatilis, Sub marinus vel litoralis, erectus, rotundus, semi digitum circiter altus, colore fuscus vel nigricans. Forte sit *muscus marinus adianto similis alter* C. Bauh. l. c. Parant ex eo tenuioris fortunæ homines jus qvoddam vel pulticulam, cum aqua, lacte & farre eum coqvendo, consistentiâ & gustu illi, quem ex musco montano eduli (ɔ: cathartico Borr.) conficiunt, pulmento Simlem. (Sed Fioru-gròs qvare vocetur? ratio talis est: Gros, generale & commune nomen est omnium vegetabilium, Specialiter muscus catharticus Borr. gros vocatur & aliqvando distinctionis ergo Fialla-gros. Huic Similis alter, Sed minor & albidus Mariugròs (*muscus Mariæ*), iterumqve tertius candidior, tenuifolius, rotundus trolla-gròs (*muscus Giganteus*) Qvem cùm descriptus hic noster Similitudine formæ qvodam modo referat, Fioru-gròs i. e. *muscus litoreus* dicitur).

§. XV. Biollr, Kiarnar, úna eademqve est planta, cujus pars inferior Seu caulis, lapidibus vel conchis plurimis radicibus Firmiter annexus, rubicundus rotundus & glaber, interdum tamen algæ heterogeneæ ferax (§. 5.) Bialla, pars vero Superior seu costa, diametro minor, utrinqve plana vel plano-convexa, Folium utrinqve unicum, latum, glabrum, membranaceum, pingve & integrum, ad Supremum usqve continuatum emittens, Kiarni dicitur. Tota hæc planta aliqvid dulcedinis præsefert, pars Superior inferiorem, plantæ juniores Seu minores (qvæ Mari-kiarni, Islandis, Myrrekiarni Færröensibus dicuntur) majores dulce-

dine vincunt, in medio autem ubi cum costâ committitur caulis omnes dulcissimæ sunt, hinc eodem ferè modo à qvibusdam maris occolis, ac pira ab aliis nationibus, Sed parcè masticantur & comeduntur. Qvod si immoderatius edantur, vim exserunt catharticam. Interdum etiam Biöllr aqvâ vel lacte coqvuntur, qvo in casu dulcedine qvidem castrantur, Sed cibariorum formam (neqve enim in mucaginem adeò citò abeunt) magis induunt. Omnium Supradictarum Specierum altissima hæc est, dum longitudine 8. vel 9. cubitus æqvat, nec tamen in aqvis procumbit. Nascitur hæc planta tam ad litus, qvam Sub profundo oceano, Sæpe enim à piscatoribus in alto, cum adnato lapide extrahitur. Latinè vel *fucus arboreus alatus edulis* ex Pin. Crist. Mentzelii, vel etiam *alga maritima gallo pavonis plumas referens* ex Pin. C. Bauh. l. c. dicenda esse videtur. Sed qvænam Islandica denominandi ratio sit, certò mihi non constat.

§. XVI. Saul *vel* Søl (fortè Sit *alga latifolia chartæ similis costa carens* C. Bauh. l. c.) *Alga edulis* Islandorum vel *Saccharifera* Borrichii; radice oritur parva & rotunda, qva vel lapidibus vel conchis vel trunco plantarum majorum (§. 8. 15.) alligatur, cui Statim mediante petiolo nectuntur folia membranacea, rubicunda, Subdiaphana & qvædam minutissimis porulis interstincta, Sæpe Simplicia & integra ac tum elliptica, Sæpius composita, in plures vel pauciores lobos laciniatim divisa, qvorum minora glabra sunt vivideqve rubentia, majora leviter Scabra vel papillacea, longitudine cum Semisse circiter bipalmia, Sed latitudo eorum pro multitudine loborum variat, fibrisqve planè irregularibus omnia construuntur. Dicta videntur hæc folia Saul vel â verbo eg Sel, (*vendo*) qvod antiqvis venalia fuerint (vid. infr. §. 19.) vel â verbo eg Saula (*maculo*, *liqvores turbo*) qvod

mare,

mare, lapidibus avulsa & â fluctibus comminuta turbent. Vel à verbo eg Svala (*refrigero*) qvasi dicerentur Svaul i. e. *refrigerantia*, ut Latinis alga est ab algore. Vel Deniqve ab antiqvo Salt pro Siöor (*mare*) & Salt pro (*Sale*) qvod sit planta Salsa & marina. Sed qvemvis Suo Sensu abundare facilis permitto). Cur autem *Saccharifera alga* Excell. Borrichio dicatur, ratio talis est, qvod Sc. folia hæc exsiccata & diutius Sub æqvali pondere asservata, Spissamento, Saccharo Simillimo incrustentur, qvâ de re legi merentur ipsius verba Act. Hafn. T. I. obs. 59. & in Dissert. de natura dulcedinis reperienda.

§. XVII. Algam hanc â nemine Botanico aut Curioso examinatum vel Solidè descriptam esse, cum citato Autore (ipso excepto) agnoscimus, nec tamen cum eodem (nam procul dubio humani aliqvid in offerendo, accuratissimus alias noster hic possus est) adducor ut credam, Similem esse hanc *angustifoliæ vitriariorum*, nam respectu figuræ, loci natalis & usus multum ab ea, prout â J. Bauhino l. c. Cap. 2. delineatur differre nostram manifestum est. Propius ei, qvam Plin. Hist. lib. 32. c. 6. longo folio & latiore, rubente describit, ratione formæ & coloris accedere videtur, nihil obstante, qvod Borrichius flavere nostram rectissimè moneat recens enim rubra est, (§. 16.) Sed edulcorata & Siccata, qvalem ipse vidit, demum flavescit. Proximè rem acu tetigisse censendus est magnus ille Anglorum Botanicus Joh. Rajus in Append. ad Hist. plantarum pag. 1. ut & Synopsi Method. p. m. 3. ubi fucum membranaceum, Scotis *dils*, Hybernis *dulesch*, Northumbris *dulce* dictum, Sæpeqve ab his & illis masticatum & comesum describit, qvi cùm alga hac nostra Si idem non sit, certè ab ea parum discrepat, ut ipsius Autoris definitionibus cum hujus proprietatibus collatis melius apparebit.

 §. XIIX

§. XIIX *Solum natale*, qvale agnoscat hæc alga, dictum jam est, (§. 16.) Sciendum tamen pro varietate litorum maximam hac in parte deprehendi varietatem, paucioraqve esse loca maritima, (unde nec ullus talis locus in tota qvadrante Septentrionali Islandiæ mihi innotuit) ubi aliqvid ejus colligitur. Nobilitatur collectione algæ pagus qvadræ occidentalis dictus Saurbœr, unde & qvam ad manus habeo Desumta est; Modus autem eam præparandi hic est: Colligititur verê & æstate vel lapidibus eam avellendo vel ejectam in litus congerendo, hinc aqva dulci, pro Salsedinis marinæ & qvisqviliar ablutione aliqvamdiu maceratur, deinde Sole & vento, rastellis Sæpius versa exsiccatur, Siccata, ligneisqve vasculis ingesta valide comprimitur, qvod opus exsiccationis Sc & compressionis iterum ac tertium repetitur, & qvo Sæpius eo fere melius, donec humiditatis nullum Super est vestigium, neqve enim metuendum, ut toties Siccata sub premendo in paleas abeat, qvod inputandum est sale temperato & qvo scatet humore proprio. Hunc in modum tractata in ligneis vasculis bene clausis, ut ab aere qvodam modo defendatur, (qvod nisi fiat, Saccharum, Islandice Hneiti nunqvam parturit) in hyemem, cum lacte variæ præparationis, rarissimè Sola comedenda, asservatur, habeturqve pro alimento virtutis haud contemnendæ, & ubi provenit, non Solum â plebejis, verum & â viris Supra communem Sortem opibus & æstimio evectis (vid. ex gr. loc. ex Actis cit. de Episcopo Brinjulfo) appetitur, ut contra ab aliis (pro cibariorum conditione) parvi æstimatur.

§. XIXI Sed ne credatur nostris demum temporibus, annonæ (fortè) caritatê adactos Islandiæ cives algam hanc esitare didicisse, unico, ne lectores pluralitate gravem, piæ antiqvitatis testimonio rem aliter se habere monstrabo, qvod ut

eò certius, ab ignotis etiam percipiatur integrum cum circumstantiis locum exscribere necesse habui ex Vita Egilli Scalla-grimi filii Cap. 69. Vixit hic Egillus in Islandiæ parte australi, at Borg i Borgarfyrdi, cum præclari Stemmatis Baronum Novegicorum, tum & ratione vere Herculeorum operum in Anglia & Norvegia à se patratorum multum diuqve nobilitatus, qvi rerum jam fessus, in prædio dicto residens, magnæ Spei uniceqve dilectô filiô Baudvaro, fluctibus obruto & exstincto, luctu ac mærore confectus, vitam famê finire decreverat, qva & intentione, cubiculo, ne conjuge qvidem admissa se incluserat, qvod advertens ipsa sc. uxor ejus Asgerda, missô nunciô, filiam eorum Thorgerdam, Nobili Olavo Pa Hiardar-Holtensi nuptam rei certam facit. Sed nîl turbata nec cunctata, patris genii æmula, ipsiqve in deliciis habita callida virago, *algâ* Secum assumptâ, qva fieri potuit celeritate, (multum enim distant prædia), Borgam se contulit, ubi â matre in ædes recepta, qvidqvam oblati cibi libare alta voce recusabat, sed januam patris pulsans, ut se intromitteret, orando instabat. Compos voti facta, ac obicê janua iterum firmatâ, alio lecto recubabat, multumqve â patre eo nomine collaudabatur, qvod ipsum pari mortis genere comitari voluerit. Sed audias jam ipsius historiæ verba: " Sidan þaug du þau um
" hrid, þa mælti Egill, Hvat er nu Dottir, tyggr þu nu
" nockut, tygg ec Saul segir Hon, þvi ec ætla at mer mu-
" ni þa veRa eñ adr, ætla ec ella at ec muna oflengi lifa.
" Er þat illt maNi Segir Egill, all illt s. Hon, viltu eta,
" Hvad man varda segir HaN, en stundu SidaN Kalladi
" Hon, oc bad gefa ser drecka, þa mælti Egill, Slikt gio-
" rir at er Saulin etr, þyrstir æ þeS at meir. Viltu dre-
" cka Fadir s. Hon, HaN took vid oc svalg storrum, oc var

"þat i Dyrs Horni, þa mælti Þorgerdr, Nu eru vid "vilt, þetta er miöolk &c. Qvorum verborum Sensus hic "est: Postqvam Siluere (Egillus & Thorgerda) paulisper, "dixit Egillus, qvid rei est filia tunc manducas? cui illa, man- "do algam (sc. Sacchari feram, de qva hic ante & post ser- "mo est) respondit, & enim malum mihi inde augeri, cæte- "rumqve vitam me non tam citò finire posse arbitror. Tum "ille algane homini noxia Sit? qværit, Thorgerda vero "multum nocere affirmans, qværit, anne ipse comedere "velit? at ille, parum referre credere se respondit (unde E- "gillum algam comedisse nullum est dubium.) Elapsâ jam ho- "rulâ Thorgerda potum sibi poposcit, cui & cornu (pro mo- "re ejus Seculi) aqva (sed Simulata) plenum traditum est. "Tum dixit Egillus: esum *algæ*, Sitis comitatur. At Thor- "gerda, velitne ipse bibere qværit? Eigillus autem accepto "cornu, multum hausit, qvo facto, aperit ei Thorgerda, "lacte pro aqva Substituto Seductos eos esse &c." atqve hoc, citò excogitato & ingenioso suo Stratagemate, patrem â ma- lo suo moriendi proposito avertebat, & ut carmen exseqvi- ale, In filii Baudvari obitum (nam poëta eximius erat) con- deret ipsum persvasit, qvo facto, Egillus aliqvot annis in vi- vis permansit &c. Hactenus, præeunte historia allatis, sa- tis credo evincitur, algam hanc, inde â medio circitèr Secu- li 10mi Islandis cognitam & usurpatam fuisse, qvi mos (sc. algam comedendi) vero similiter â majoribus eorum Norve- gis derivandus est, qvem & populis Septentrionalibus, ma- ri vicinis, tum temporis communem fuisse, reliqvias ejus in Scotis & Hybernis (§. 17.) ut & Færröensibus arguere pro- babile est. Hinc & taxa ejus in Constitutionibus Oecono- micis Islandicis (i. Bualögum) ipsis & satis antiqvis, his ver- bis, juxta exemplar MS. qvod mihi ad manus est, habe- tur:

tûr: XII. Alnum er Saulva vætt Hrein oc huN: & paulo post II. alnum er Saulva Fioord ungr i. e. libra maxima Islandorum (qvæ eqvalis est V. Lb. Dan.) algæ puræ & Siccatæ (§. 18.) venit alnis duodecim (ↄ: Semi Imperiali) libra vero minor Fioordungr (i. e. qvarta pars Semissis libræ maximæ) Dan. X. lb. venit alnis duabus qvod respondet parti 12mæ Imperialis Seu 8Skl. Specie. Atqve hoc Fundamento Saul, grøs (§. 14.) & radix Angelicæ (licet hæc pro cibariis inferioris ordinis ac pretii suo modo habeantur, tamen) Løggiæfr matr, i. e. cibus qvi domesticis jure offeri potest communitèr dicuntur.

Pro Stipendio Scheeliano.

§. XX. Et ne objiciatur, dictas nationes (§. 17. 19.) vilia maris rejectamenta (qvo nomine alga qvalis,cunqve à lexicographis communiter Salutatur) mensis pro cibis inferre dum algâ hac victitant, ad ejus particulas constituentes & qvalitates; qvas juxta mea qvaliacunqve experimenta jam proponam, attendatur. Etenim primo dicendum est, eam *gelatina mucilaginosa* abundare, nam si vel aqva tepida excipiatur, vel in ea leviter coqvatur, aqva haud cunctanter in *mucilaginem* cydoniorum similemvertitur,atqve trajecturæ per filtrum inepta redditur. Qvod si vero hæc massa evaporando, ad Spissiorem cosistentiam reducatur, *glutinis*, satis tenacis *formam* induit, abitqve ad ultimum, si diutius operando perseveretur in Solidum *gummosum* corpus. Sed neqve hoc tentâsse contentus eram, sed in Spir. V. folia aliqvot unius mensis Spatio maceravi, qvo in casu neqve alga neqve Spiritus, si paucam qvam contraxerat Salsedinem excipias, ulla tenus mutata sunt, manifesto documento, *non resinosam Sed gummosan esse plantam*, ac pro ratione sui temperamenti inventricu-

lo

lo facilis digestionis (§.9.), unde in intestinis mitis est, & Subjectis ventriculi frigiditate & langvidâ digestione laborantibus utilis erit, atqve in Succum & Sangvinem citò abitura, partibus alimentum placide Subministrart (con. fer. J. G. Krügeri Physiol. §. 18. & Dethard. Elem. Diet. §. 55. &c.

§. XXI. Ulterius qvibus constaret particulis indagaturus, algæ hujus unc.vj. & ʒvj. retortæ vitreæ indidi, admotoqve recipiente & igne Primum temperato, calefactis omnibus, statim *phlegma* guttatim prorupit, qvo cessante, aucto per gradus igne, sub forma nebularum prodibat *Spiritus, oleo suo gravidus*, qvod lateribus utriusqve vitri adhærebat. Continuatis ignis gradibus, operando institi, donec nihil ulterius egrediebatur, obtinuiqve liqvoris dictis elementis constantis unc.iv. ʒj. *cinerum* veroqvi Salsedinem magnam lingvæ prôdebant unc.ij. cum ʒiij. Atqve sic sub operando ʒij. perdidi, qvod partim vitro utriqve adhæserat, partim auctô ignê, per commissuras avolârat. *Phlegma* qvod impetravi empyrevmaticum erat atqve ex acido participare visum, *oleum* itidem empyrevmaticum, fætidum, spissum, Fundumqve petens, Supernatantibus paucis guttulis. (NB. Postqvam hoc experimentum à me factum erat, & in Pinace Ch. Mentzelii unum aut alterum nomen forte qværebam incidi sub alga, in Saccharifer: Isl. qvam vocat *Thortulii Arag.* Qvod nomen, licet omnino ignotum mihi esset, cogitabam tamen, qvantum hæc & alia, â qvibusdam linguæ Islandicæ ignaris detorqvi Soleant, atqve Tomum 3m. Act. Hafn. qvi recte in Pinace citatur, Statim aeqvisivi, inveniqve obs. 88. monstrosam Mentzelii detortionem corrigendam esse in *Thorkilli Arngrimi* (Widalini sc. noti illius rerum Islandicarum scriptoris) *Filii*, Hujus enim Thorkilli, qvi Pastor erat Gardæ in Isl. parte Australi, integræ literæ ad Cel. Borri-

Borrichium, ut & ipſius Borrichii per deſtillationem inſtitutum algæ hujus examen, & icon algæ trilobæ atqve plura, ad rem præſentem facientia, loco in Act. cit. itemqve Tom. 4. videri poſſunt). *De Sale* qvod algæ in eſt certior jam factus, hujus ad eam proportionem ſcire cupidus, recepi algæ unc.iv. qvam in crucibulo candente incineratam, ad lancem examinavi, pendebantqve cineres ejus unc j. qvi nigerrimi erant Salemqve manifeſte ſapuerunt. Hunc ſalem cinereum eundem eſſe credo cum nigro illo Færröenſium, qvo lardum balenarum condiunt, ut ex Dn. L. J. Debes Færröa Reſerata & Act. Hafn. T. 1. obſ. XLIX. videre eſt. Ex his cinervibus elixande & evaporando obtinui *Salis albidisſimi* Scrup. v. Qvi licet alkalinæ ſit indolis, ex ipſa tamen planta non deſinet participare, & licet ad cibarium uſum propriè non ſit accomodatus, eidem tamen longe aptius, qvam Supra memoratus niger inſervire poteſt, imprimis apud eos, qvibus melior non Suppetit, ut taceam, cibaria in Islandia, ut carnes & piſces, Sæpe corrumpi, idqve ſolum ob Salis defectum, qvem tamen antiqvitus ibi confectum fuiſſe, evidenter teſtatur liber Originum Islandorum pag. 64. Ipſumqve (ſc. Salem) Sine multis alimenti ignis impenſis ibidem à ſe parari poſſe, vidit Islandiam dum luſtrabat Matthias Jochimi filius, qvo etiam fine, ut privilegiis à Gorioſ. Mem. CHRISTIANO 6to. muniretur, ſupplicare voluit. Ad ultimum ex dicta mea operatione Terræ ſ. cap. mort. ℨiij remanſere.

§. XXII. *De Saccharo*, qvo ſub preſſione obducitur alga (§. 18.) videantur Cel. Borrichii LL. Cit. meæ experientiæ omnio conſonæ obſervationes. Guſtu dulciſſimum eſt, Figuram, ſive nudo ſive armato oculo conſpiciatur, cum albo vulgato ſervat eandem, de qva cum alii Scripſerint, nîl hic

 monen-

monendum. Satis ergo gustu, visu & tactu perceptibile est hoc saccharum, & viris fide dignis â memonstratum, licet jam injuria accedentis aeris, fortuitoqve advenientis insectuli cujusdam, ita consumatum sit, ut idem ulterius ostendere non possim; ut præter hæc, alga qvam ad manus habui non probe fuerat exiccata, alias enim, si bene præparata sit, etiam in plures annos, sine corruptione, cum Saccharo asservari potest, qvod & affirmat Borrichius. Observavi primum mense Octobri, acceptà tonnulâ algam custodiente, dulcis hujus Spissamenti saltem exigua vestigia, qvod tamen mensibus seqventibus paulatim augebatur & in Sacchari figuram formatum est. Minima ac rubicunda folia magis Sacchari dabant qvam majora & flavescentia, magis omnia parte sui inferiore qvam Superiore donec mense Junio dictas prius ob causas totum disparuit. Utrum vero Saccharum hoc artificisse elici depurgatumqve colligi possit, ut dubium, donec expertum fuerit relinqvimus, & licet pro affirmativa Sententia Stare, si debita adsit encheiresis, apparens rei possibilitas jubere videatur, tamen cum Mich. Valent. Hist. Simpl. Lib. II. Sect. III. c. 16. Saccharum hoc modo collectum visum esse nullum, libenter fatemur.

§. XXIII. Perspectis sic qvibus alga hæc constat elementis, inferimus 1mo. *eam tam animalibus qvadrupedibus* (§. 9.) *qvam etiam hominibus* (§. 18.) *jucundum, bonum ac firmum alimentum Suppeditare*, & qvamvis minimam ejus partem, etiam in paucioribus istis locis (§. 18.) ubi Suffienti copia habetur communiter ea constituat, (uti nec aliæ nationes unica olerum Specie victitant) solis tamen algâ hac & alatô arboreo eduli fucô (§. 15.) pauperculam mendicam, atrociâ tempestatum æstuqve maris, cum infantulo lactente, in sinulo qvodam, Scopulis Septo interclusam, trium hebdomadarum Spatio, cru-

crudis, ut in litus ejiciebantur se & infantem Sustentasse, à viro Seniore Fide digno, qvi matrem cum infante posteo vidit relatum accepi. Præterea Grönlandos algâ parcissime uti ne nimis pingvescant, autor mihi est, qvi ibidem rerum naturalium Scrutator biennio permansit, & ipse asserti oculatus & auritus testis. 2do. *Viribus medicamentosis eam non destitui* manifestum est, nam præter ante dicta (§. 12.) qvæ hic etiam locum Sibi vindicant, α.) *Calefacit* (ob subtilem Salem communem, id qvod vel ipsa lingva gustando testatur) adeoqve in frigidis morbis vel bilis inertia utilissima videtur. β.) *Involvit* (ob mucilaginem, Confer experimentum meum §. 20. &c. qvod Spir. vini non solvat magis nostram qvam gummata & mucilaginosa) adeoqve in diarrhæa, puncturis (qvo etiam fundamento nititur qvod sæpius offendi in LL. MStis. ad medicinam domesticam Islandorum pertinentibus: Hiartverk Stilla Hrau saul etin. i e. dolorem cardiacum punctorium, qvod & de plevritide intelligi potest, sedat alga hæc cruda & recens comesa) inqve rhevmatismis, phthisi ipsa, aliaqve acrimonia, præsertim acida non est contemnenda. Ad minimum tutius involvit qvam gelatinæ carnium vel ossium, nam & recens inodora est, & adeo non putrescit, aliterve acrescit qvin potius dulcescat seu vinescat, vel blandissime acescat. γ) *Appetitum & Sitim excitat. & auget* §. 19 (etiam ob dulcedinem Subtilem, resolventem Stimulantem, qvo pacto convenit cum pulpa caulis Angelicæ) adeoqve convenit in anorexia, nausea & cæteris ventriculi frigidi morbis, hinc pingvefacit (cfer supra de pecudibus & Grönlandis), & fœcundat (§. 9.) proinde inservit contra atrophiam. Sterilitatem, impotentiam. δ.) *Se & excretiones promovet* (ob Subtile Sal stimulans & resolvens), adeoqve in

morbis obstructionum, præsertim frigidis, ex. gr. Scorbuto frigido vel laxo perutilis erit.

Ex hactenus dictis non obscurum erit concludere, qvod

1mo. Natura omni terræ, nulli omnia dando, nec ulli omnia denegando, benignissime prospiciat. Sic ex. gr. Islandia segetibus destituta. herbas tamen esculentas Sc. muscum montanum seu catharticum, angelicam & algam copiose profert.

2do. Qvod panis (ɔ: cibus) diligenter & juxta naturæ ordinem qvæsitus, vel in duris litoris lapidibus & montibus se homini offerat.

3tio. Qvod non facile ulla, qvantum vis parvi æstimata herba reperiatur, cui non insit virtus sive alimentosa sive medicamentosa, unde in virtutibus earum detegendis, semper plus ultra conandum.

4to. Qvod verosimile sit, qvantum â posteriori colligere licet, uti animalia, ita & vegetabilia marina naturam in plagis mundi frigidioribus copiosissime & commodissime producere & sustentare.

TANTUM.

